AUTHOR:

DODERLEIN, LUDWIG

TITLE:

MINUTIAS SOPHOCLEAS PRAEMITTET...

PLACE:

ERLANGAE

DATE:

1842-46

Master Negative #

92-80480-10

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

 Döderlein, Ludwig, 1791-1863.
...Minutias Sophocleas praemittet D. Ludovicus Doederlein ... Erlangae, typis J.P.A. Jungii, 1842-46.
3 v. in 1, 26 x 20 cm.

Program. Erlangen.


 Another copy.
Volume of pamphlets


 Another copy


Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 mm REDUCTION RATIO: 13x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 03.11.1992 INITIALS Cuban
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT








AIIM


Association for Information and Image Management


1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202









(Text crit) Sophocles no. 4

REGIAE FRIDERICO-ALEXANDRINAE
LITERARUM UNIVERSITATIS

PRORECTOR

D. JOAN. GEORG. VIT. ENGELHARDT

REGI AB ECCLES. CONSIL. THEOL. PROF. PUBL. ORD. EQUES ORDIN. S. MICHAELIS

CUM

PROCANCELLARIO

RELIQUOQUE SENATU ACADEMICO

SUCCESSOREM SUUM

CIVIBUS ACADEMICIS

COMMENDAT.

MINUTIAS SOPHOCLEAS

CONTINUAT

D. LUDOVICUS DOEDERLEIN
GRAEC. ET LAT. LITT. P. P. O. ET SEM. PHILOL. DIRECTOR. SOC. LITT. MONAC. SODALIS

ERLANGAE,
TYPIS JOANN. PAUL. ADOLPH. JUNGII. MDCCCXLV

Minutiarum Sophoclearum

continuatio.

Soph. Aj. 404.

Ajax pudorem inter et iram versatus quid porro agat dubitat:

ποῖ τις οὖν φύγῃ;
ποῖ μολὼν μενῶ;
εἰ τὰ μὲν φθίνει, φίλοι,
τοῖςδ' ὁμοῦ πέλας κ. τ. λ.

Haec sine novis Mss. sanari posse negant Hermannus aliique. Scribe transponendo verba, omisso Ellendtii ex sententia *πέλας* tanquam glossemate vocabuli *ὁμοῦ*:

ποῖ τις οὖν φύγῃ;
ποῖ μολὼν μενῶ
τοῖςδ' ὁμοῦ, φίλοι;
εἰ τὰ μὲν φθίνει κ. τ. λ.

Sensus est: *Quo fugiam? ubi maneam in istorum vicinia, si merita quidem mea oblivione obruuntur, sed vesanae victoriae operam dare dicor, et universus exercitus summa in me exacerbatus est ira.* Quod h. l. *τὰ μὲν φθίνει* legitur, idem similibus verbis redit v. 618. *τὰ πρὶν δ' ἔργα χεροῖν μεγίστας ἀρετᾶς ἄφιλα παρ' ἀφίλοις ἔπεσ' ἔπεσε μελέοις Ἀτρείδαις.* Jam vero antistrophae ex Hermanni emendatione constitutae prorsus illi versus respondent. — Mox *πόροι ἁλίρροθοι*, ex Aesch. Pers. 373 a Sophocle huc repetiti, non sunt *fluctus marini*, sed tragica circumscriptio eorum quae Homerus dicit *ὑγρὰ κέλευθα.*

Soph. Aj. 770.

εἶτα δεύτερον
δίας Ἀθάνας, ἡνίκ' ὀτρύνουσά νιν etc.

Hermannus, Lobeckius, Wunderus positum putant pro *δίας Ἀθάνας αὐδωμένης.* Id prorsus incredibile. Imo in mente habuit pergere: *δίας Ἀθάνας ἐκτήσατ' ὀργήν*, quod verbum nomenque quum ob parenthesin diutius dilatum sit, ab integro orditur v. 775.

τοιοῖςδε τοῖς λόγοισιν ἀστεργῆ θεᾶς
ἐκτήσατ' ὀργήν

Aj. 799.

τήνδε δ' ἔξοδον

ὀλεθρίαν Αἴαντος ἐλπίζει φέρειν.

Subjectum verbi *φέρειν* est *τήνδε ἔξοδον*, ejusdem objectum autem *ὀλεθρίαν*, scil. *ἔξοδον*, quod ex subjecto repetendum est. *Haec Ajacis ex tentorio egressio allatura est eidem fatalem e vita excessum.*

Aj. 854.

Cur oculos solos ac non operam et auxilium Mortis invocare Ajacem moriturum dicemus in his?

ὦ Θάνατε, Θάνατε, νῦν μ' ἐ π ί σ κ ε ψ α ι μολών.

Scribendum videtur:

ὦ Θάνατε, Θάνατε, νῦν μ' ἐ π ί σ κ η ψ α ι μολών.

Plerumque cum dativo jungitur hoc verbum, sed etiam cum accusativo ut Trach. 1221. *τοσοῦτον δή σ' ἐπισκήπτω, τέκνον.*

Ant. 231.

Tarditatem adventus sui excusans custos timore suo et periculorum reputatione:

τοιαῦθ' ἑλίσσων ἤνυτον σχολῇ τ α χ ύ ς.

Ea scholiastae lectio placuit editoribus nostrae aetatis plerisque. Atqui omnes Mss. *βραδύς*, recte. Nusquam enim *festinasse* se fatetur custos. An putabis *ταχύς* explicandum esse: *Tarde veni, cum tamen natura sim velox!* At enim *γέρων* dicitur idem custos v. 281.

Ant. 220.

καὶ μὴν ὁ μισθός γ' οὗτος. ἀλλ ὑπ' ἐλπίδων

ἄνδρας τὸ κέρδος πολλάκις διώλεσεν.

Commate hae duae enuntiationes dirimenda erant, non puncto; nam *καὶ μὴν*, quod ad sententiam adtinet, cum *ὑπ' ἐλπίδων* jungendum est, non cum proximis *ὁ μισθός γ' οὗτος*, quae verba *διὰ μέσου* posita sunt. Chori enim monito: *οὐκ ἔστιν οὕτω μῶρος ὃς θανεῖν ἐρᾷ*, haec demum apte respondentur: *Ac tamen lucri studium saepe homines, etiam cum mors mercedis loco proposita est, spe latendi perdit.* Eadem ratio est in Phil. 1043.

ὡς ζῶ μὲν οἰκτρῶς, εἰ δ' ἴδοιμ' ὀλωλότας

τούτους, δοκοῖμ' ἂν τῆς νόσου πεφευγέναι.

Quae et ipsa paulum obscurantur colo post *οἰκτρῶς* poni solito.

Ant 335.

τοῦτο καὶ πολιοῦ πέραν

πόντου χειμερίῳ νότῳ

χωρεῖ, περιβρυχίοισιν

περῶν ὑπ' οἴδμασιν.

Verba *χειμερίῳ νότῳ* si ut vulgo fit commate separantur a sequentibus, ad sensum nihil aliud significare possunt quam *flante noto*, sin grammaticae leges consulas, ne hoc quidem; nam leges postularent *χειμερίου νότου* ut Trach. 112. *ἀκάμαντος ἢ νότου ἢ βορέα.* Imo delendum comma, ut *νότῳ* ad *περιβρυχίοισιν* pertineat, instrumentalis ablativus.

Ant. 404.

καὶ πῶς ὁρᾶται κἀπίληπτος ᾑρέθη;

Non abundat *κἀπίληπτος*, ut putant. Distingue:

καὶ πῶς ὁρᾶται; κἀπίληπτος ᾑρέθη;

Quomodo conspecta est! num etiam i n i p s o o p e r e deprehensa est! Hoc sibi vult *ἐπίληπτος, ἐπὶ τῷ ἔργῳ*, ut in *ἐπ' αὐτοφώρῳ*.

Ant. 959.

Lycurgus Bacchi violator eidemque poenas dans

οὕτω μανίας δεινὸν ἀποστάζει

ἀνθηρόν τε μένος κεῖνος. ἐπέγνω μανίαις

ψαύων τὸν θεὸν ἐν κερτομίοις γλώσσαις.

In his conjunxi *κεῖνος* cum praecedentibus, non ut est in edd. cum sequentibus. Nam quum in superioribus de Lycurgo sermo fuerit, *κεῖνος*, de eodem illud Lycurgo intelligendum, levius vocabulum est quam ut in ipso enunciationis principio collocari possit. Sed de sententia quoque ultimorum verborum dissentio ab Hermanno, ita

vertente: *Ille cognovit deum quum, eum pro insania sua acerbis dictis laederet.* Imo sensus est: *Cognovit, per insaniam a se esse factum, deum ut laederet.*

Ant. 980.

κὰδ δὲ τακόμενοι μέλεοι μελέαν πάθαν
κλαῖον ματρὸς, ἔχοντες ἀνύμφευτον γονάν.

Commate distinxi post ματρός, non ut vulgo fit post κλαῖον. Sensus est: *Emorientes Phinei liberi dum ipsi miseri sunt, miseram matris sortem deplorabant, ex infelici illi matrimonio procreati;* illa enim quamquam priscis Erechthidis sanguine cognata et cultiore vita digna, tamen postquam repudio a marito expulsa est, longinquis in antris degebat inter procellas, patris Boreae ministras, super glacie in montis modum erecta. Sed novercam quoque ejus mali autorem Parcae consecutae sunt ultrices.

Ant. 1222.

βρόχῳ μιτώδει σινδόνος καθημμένην.

Non recte Wunderus explicat: βρόχῳ ἐκ μίτων σινδόνος. Nihil aliud μιτώδης potest significare quam μιτοείδης. Nam σινδών in tenuitatem fili contorta pro laqueo erat.

Ant. 1330.

φανήτω μόρων ὁ κάλλιστ' ἐμῶν
ἐμοὶ τερμίαν ἄγων ἁμέραν
ὕπατος.

Comma pone post ἐμῶν, ut φαινόμενος ex φανήτω intelligatur h. s. *Veniat ea nex, quae omnium necium ad me pertinentium pulcherrima et exoptatissima veniet, illa quae supremum diem allatura est mihi.* Nam suorum mortes, Haemonis, Eurydices, ἐμοὺς μόρους dicit eodem jure, quo αὐτοσφαγεῖς dicuntur vel sua vel suorum manu interemti, id quod frustra negavit Wunderus.

Phil. 182.

Neoptolemum precantem, ut navigatio fauste procedat, Philoctetes excipit senario ἀμετρωτάτῳ et corruptissimo:

ἀλλὰ δέδοικ' ὦ παῖ μή μ' ἀτελὴς εὐχή.

In quo emendando latus divinationi sive hariolationi patet campus. Occupet extremum scabies; mihi turpe relinqui est. Corrigo:

δέδοικά σ' ὦ παῖ μὴ μάτην εὔχῃ τάδε.

Vel quicquid tentaturi estis, qui probabiliora excogitabitis, parcite modo allocutioni ὦ παῖ.

Phil. 1147.

ὦ πταναὶ θῆραι χαροπῶν τ'
ἔθνη θηρῶν, οὓς ὅδ' ἔχει
χῶρος οὐρεσιβώτας,
φυγά μου οὐκέτ', ἀπ' αὐλίων
πελᾶτ'· οὐ γὰρ ἔχω χεροῖν
τὰν πρόσθεν βελέων ἀλκὰν,
ὢ δύστανος ἐγὼ τανῦν,
ἀλλ' ἀνέδην ὅδε χῶρος ἐρύκεται
οὐκέτι φοβητὸς ὑμῖν.
ἕρπετε, νῦν καλὸν
ἀντίφονον κορέσαι στόμα, πρὸς χάριν
ἐμᾶς σαρκὸς αἰόλας!

Ita correxi hujus loci partim literas partim distinctionem. Primum literas, scribendo φυγά μου pro φυγᾷ μ' quod est in Mss. et interpretum ingenia exercuit, donec in sua quisque quamvis contorta ratione explicandi acquiescerent. Nunc quum simul diremerim distinctione *fugae* notionem ab eo verbo, quod cum fuga conjungi neutiquam potest, πελάζειν, hic efficitur sensus: *O volucres feraeque, non amplius causa est me fugiendi, appropinquabitis a lustris vestris.* Nam φυγά praegnanter dicta est pro *causa fugae*, neque synizesis qua μου et οὐκέτι coalescunt, improbabilis erit comparantibus Hom. Il. XVIII, 458 υἱεῖ ἐμῷ ὠκυμόρῳ, vel quae collegere Boeckh. ad Pind. Ol. XIII, 1. Herm. Ell. D. Metr. p. 55. Mox ὅδε χῶρος ἐρύκεται retinui spreta Porsonis Wunderique conjectura ὅδε χωλὸς; nam ἐρύκειν eodem jure *defendendi* significatione dicitur quo hoc ipsum *defendere* proprie *arcendi*, deinde ac saepius *tutandi* vim habet. Postremo post στόμα distinxi, ut jungeretur ἕρπετε πρὸς χάριν σαρκός, advenite ad voluptuosum carnis fructum, prorsus ut Ant. 30. εἰςορῶσι πρὸς χάριν βορᾶς. Sed αἰόλα eadem caro appellatur per anticipationem; nam cruenta futura erat dilaniatione.

Phil. 1555.

Valedicit Philoctetes Lemno:

χαῖρ' ὦ μέλαθρον ξύμφρουρον ἐμοὶ,
νύμφαι τ' ἔνυδροι λειμωνιάδες,
καὶ κτύπος ἄρσην πόντου προβολῆς,
οὗ πολλάκι δὴ τοὐμὸν ἐτέγχθη
κρᾶτ' ἐνδόμυχον πληγῇσι νότου,

πολλὰ δὲ φωνῆς τῆς ἡμετέρας
Ἑρμαιον ὄρος παρέπεμψεν ἐμοὶ
στόνον ἀντίτυπον χειμαζομένῳ.
νῦν δ᾽ ὦ κρῆναι Λύκιόν τε ποτὸν
λείπομεν ὑμᾶς, λείπομεν ἤδη.

In his verba *οὐ πολλάκι . . χειμαζομένῳ* aptissime referrentur ad *μέλαθρον*, cujus in angulo intimo habitator irrigabatur imbribus; imbres enim significantur per *νότον*, ut in Aesch. Ag. 1364 *Διὸς νότῳ*, non maris fluctus flatu et repercussu in altum emicantes. Sed tamen obstant illi structurae duo versus inter *μέλαθρον* et relativum interjecti. Nempe hi versus transpositi sunt. Corrige:

χαῖρ᾽ ὦ μέλαθρον ξύμφρουρον ἐμοὶ,
οὗ πολλάκι δὴ τοὐμὸν ἐτέγχθη
κρᾶτ᾽ ἐνδόμυχον πληγῇσι νότου,
πολλὰ δὲ φωνῆς τῆς ἡμετέρας
Ἑρμαιον ὄρος παρέπεμψεν ἐμοὶ
στόνον ἀντίτυπον χειμαζόμενῳ.
νῦν δ᾽ ὦ κρῆναι Λύκιόν τε ποτὸν,
νύμφαι τ᾽ ἔνυδροι λειμωνιάδες,
καὶ κτύπος ἄρσην πόντου προβολῆς,
λείπομεν ὑμᾶς, λείπομεν ἤδη.

Nunc demum rite procedit Philoctetae oratio; primum habitationi suae, deinde circumjectis valedicit, neque quasi turbata mente separat, quae inseparabiles sunt, *fontes perennes* et *nymphas stagnorum* et ipsum *mare vicinum*. Video quid contra possit moneri, poetam a nobis emendari, non librarios; quam ego reprehensionem etsi justa esset, facile hercle ferrem; nam ne illa quidem opera irrita foret et philologo indigna.

Hodie fasces suscepisse academicos scitote, commilitones humanissimi, virum consultissimum,

D. Ernestum Adolphum Theodorum Laspeyres

jur. German. prof. publ. ord.

Is quanquam recens in academiam nostram ascitus tamen tam brevi tempore comitate, industria, solertia, rerum peritia, tantam sibi et benevolentiam et autoritatem apud collegas, apud cives conciliaverat, ut nec nos digniorem haberemus, cui annua universitatis moderatio permitteretur, nec Vos alii parere malle crederemus. Quapropter monitos Vos rogatosque volumus, ut tali viro munus non honorificum modo sed etiam onerosum pro virili parte allevetis.

Dabamus Erlangae d. IV. Nov. MDCCCXLV.

(L. S.)